



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Quomodo anima sit actus corporis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

uisiones : quomodo in secundo libro de posteriori analysi querendam esse docuerat propriam cuiusque rei definitionem. Et altera item diligentia confirmat, qua in tex. 24. definitionem illam per notioerem alteram demonstrat. Deinde alicubi oportuit animam à naturali Philosopho secundum propriam ipsius quiditatem definiri : atque hoc planè loco definita fuit per ea, quae sunt illi essentialia ; dum dicta est esse forma, actus, & perfectio corporis, talisque corporis. Non inquam definita fuit per corpus, sed per ordinem ad corpus : qui ordo essentialis est illi, non minùs, quàm cuiuslibet formæ ordo ad materiam ; vt in tex. 26. lib. 2. Phys. significatum est. In eaque definitione nominatum fuit corpus, tanquam terminus illius ordinis. Sic enim vnum relatum in sui correlati definitione, & substantia in definitione accidentis poni consuevit. Cur autem in tex. 11. descriptionem maluerit appellare, dictum est in illorum verborum interpretatione.

Denique ex his potest intelligi, quid ex tota hac definitione de animæ nostræ immortalitate colligatur. Cum enim generalem duntaxat animæ rationem contineat, id solum colligitur, quod collegit Aristoteles in tex. 11. ex generali illa ratione animæ nullam animam separari posse ; hoc est animam, quæ nil aliud habeat, quàm esse actum corporis, omnino inseparabilem esse ; quoniam actus, vt actus est, vult esse in corpore, nec sine illo esse potest. At si quæ anima præter vim actus aliquam aliam habeat perfectionem, qua sine corpore esse possit ; ea nimirum separabitur. Atque hoc, est quod dixit, quasdam nihil prohibet separari, quòd nullius corporis sint actus ; hoc est non solum sint actus, sed etiam immateriales actus, intelligentes, & subsistentes.

Alteræ Digestionis Pars. Quo modo anima sit actus corporis.

*Anima
an sit
actus
omnium
partium
corporis.*

Sed quoniam & corpus organicum multis partibus constat, & animam pluribus facultatibus ; tribus modis eam dicere possumus organici corporis esse actum. Aut ita, vt tota eius substantia in vna aliqua corporis parte resideat, ex qua diuersis facultatibus vtens totum corpus regat. Aut ita, vt in diuersis corporis partibus diuersæ item sint animæ partes. Aut demum ita, vt tota cum omnibus partibus & facultatibus sit in singulis corporis partibus.

1. Sententia.

Prima plurium veterum fuit sententia. Hippocratem enim legimus intellectum existimasse in sinistro cordis sinu residere ; Herophylum in ventriculo cerebri totam animam collocasse ; Democritum in toto capite ; Erasistratum circa cerebri membranam, quæ *meninx* dicitur ; Stratotem in intermedio superciliorum ; Parmenidem, & Epicurum in toto pectore ; Stoicos in corde aut cordis spiritu ; Empedoclem in sanguine ; Diogenem in arteriis ; alios in cordis collo aut pericardio ; alios in septo transuerso. Post hos autem omnes Magnus Albertus in tract. 1. c. 7. essentiam animæ in solo corde voluit residere, atque in cæteris corporis partibus quasdam illius duntaxat facultates esse. Non fecus

A ac rex in vna aliqua residens ciuitate vi & potestate sua vniuersum administrat regnum. Idem nostris temporibus senserunt Simon Portius in libro de Humana mente c. 7. & Hieronymus Cardanus in libris de animorum immortalitate, & apud Scaligerum, exercit. 307. c. 29. Videtur autem colligi ex Aristotele iis in locis, in quibus vitæ ac sensus principatum tribuit cordi. Tum verò maximè in lib. de animalium motu c. 7. ybi in hanc sententiam loquitur. Existimandum autem constare animal quemadmodum ciuitatem bene legibus institutam. In ciuitate enim cum semel constitit ordo, nihil est opus separato principe, quem oportet adesse singulis, quæ sunt : sed cuius vnusquisque facit quæ sua sunt, vt ordinatum est : sitque hoc post hoc per consuetudinem. In animalibus autem hoc idem propter naturam fit, & quia natum est vnumquodque sic constitutorum facere suum opus. Quare non oportet in vnoquoque esse animam : sed in quodam principio corporis existente, alia quidem viuere, quia ordinata sunt ; facere autem opus proprium propter naturam.

B Alteram propositæ questionis partem complexi sunt Pythagoras & Plato. Pythagoras enim vitalem animæ partem circa cor posuit, rationalem & intelligentem circa caput. Testatur Plutarchus in lib. 4. de Philosophorum placitis c. 5. & auctor historiæ philosophicæ, quæ Galeno tribuitur. Plato autem intelligentem partem in capite, concupiscentem in iecore, insipientem in corde collocauit. Hanc fuisse Platonis sententiam, multis persequitur Galenus in lib. 5. & 6. de Hippocratis & Platonis decretis. Tres namque animæ partes esse diuersas, hocis argumento ostendit in 4. de rep. libro quòd pugnant inter se ; aliudque ratio, aliud iracundia libidoque suadeat. & lib. 9. tres hæc animæ partes cum tribus comparat ciuitatis partibus, consulari, militari, & quætuosæ : tribusque hominum generibus, philosopho, contentioso, & ataro.

C Porro Hippocratem quoque ante Platonem intelligentem partem in capite potissimum collocasse, illi omnes confirmant, qui eum propterea scribunt consueuisse velato aut pileato capite incedere, quòd principem illius animæ sedem probè munitam & contactam diceret esse oportere. Concupiscentem autem Plato vegetantem, & irascentem sentientem partem appellasse, manifestum est ex Timæo. Nam priorum inquit, quæ esculenta & poculenta, atque ea demum, quæ corporis naturæ necessaria sunt, concupiscit, esse velut præsepe corporis alimentati, inter præcordia & vmbilicum collocatam ; posteriorem in satellitis & apparitoris sede ac domicilio constitutam, vt cum ira vis imperio rationis aduersus iniustum quidpiam feruesceret, continuo quidquid in corpore sensitiuum est obediens rationi, eamque sineret dominari. Interdum etiam, quemadmodum in Phædro, duas illas partes, velut equos aurigæ, subiecit rationi in suprema parte sedenti ; & in 4. & 9. de re publica primam varix ac multorum capitum beluæ similem esse dixit ; alteram leoni ; postremam homini.

D Tertiã partem Aristoteles verè esse indicauit. Nam

Nam ex his, quæ antea deducta sunt, perspicuum est animam esse in toto corpore. Eandem inquam animam (siue in quolibet viuente vna sit, siue multiplex) totum planè corpus occupare. Si enim tanquam assistens forma ad motum duntaxat tribuendum accederet, cum vna sola fortasse parte coniungi posset, ex qua totum corpus impelleret. At cum vniatur, vt det item esse; necesse est cum toto corpore & partibus omnibus vniatur: quoniam hoc formantis formæ conditio postulat. Si namque per totum corpus diffusa non esset, sed ad vnicam præcipuam partem contracta; sola hæc pars, quæ haberet animam, non totum corpus, animata esset. Neque enim sola facultates à præcipua parte ad reliquas deriuatæ animam illis & vitam tribuerent; cum ipsæ non animæ sint nec substantiæ, sed animæ facultates & accidentia. Immo nec ea possent in illas partes diffundi, quòd animam comitentur; nec ibi esse possint, vbi non adsit anima; quemadmodum nec vilius rei proprietates esse possent, vbi non sit ea natura, cuius proprietates est. Deinde anima duo præstat in corpore. Alterum est formare & animare: alterum eo vti veluti instrumento ad operandum. Quæ duo ita sunt connexa, vt vbi primum illud non fuerit, neque hoc posterius esse possit. Facultates autem, etsi non respiciant corpus nisi vt organum, quia principium duntaxat operationis significant: sicut tamen animam necessario supponunt, ita organum animatum requirunt, nec eo nisi animato vtuntur. Quod re ipsa comprobatur. Nam si membrum aliquod pereat & amittat vitam, etsi cum reliquo corpore coniunctum sit, nullam tamen habet operationem; vt in arborum arescentibus ramis sæpè conspicimus. Illud etiam certum est, quod Aristoteles explicauit; vegetantem quidem animam posse sine cæteris reperiri, at cæteras sine illa esse non posse. Quare licet plures in eodem viuente essent animæ, vegetans tamen vniuersum corpus occupare deberet. Grauiusque peccauit Plato, dum seorsim eas in diuersis partibus collocauit. Facile enim videre potuisset, nec intelligentem in cerebro, nec sentientem in corde sine vegetante posse subsistere. Sed & operationes eius obseruare debuisset. Etenim cum in qualibet corporis parte aliqua vegetantis præsertim animæ appareat operatio, in omnibus necesse est huius saltem animæ facultatem & essentiam inesse. Nutritio & accretio vbique manifestè cernuntur. Vbiq; igitur ea inest anima. Ex animalium autem genere ea, quæ insecta nominantur, proponet Ar. in tex. 20. quæ in plures partes diuisa, singulis non viuunt modò; sed & sentiunt si tangantur, refugiunt, & mouentur: habent igitur sentientem quoque animam per totum corpus diffusam. Denique si necessaria argumentatione antea fuit conclusum, animatum corpus oportere esse organicum, vt animæ operationes omnes obire queat, haudquaquam poterit esse dubium, non vnam aliquam aut alteram partem, sed omnes planè animatas esse: cum omnes sint actioni cuiuspiam necessariae, atque ex omnibus simul iunctis organicum corpus coalescat.

Neque dubitandum est Aristotelem secus

vquam sensisse. Nam cum animam definiuit actum primum organici corporis, cum certum est organicum illud dixisse, quod pluribus & diuersis membris vt instrumentis constaret. Quam ob causam in tex. 6. ad id probandum desumpsit argumentum ex plantis, quarum corpora etsi simpliciora videantur, organica tamen sunt, dum radicibus, trunco, cortice, foliis constant: & in tex. 9. ex oculo organici corporis parte ad totum corpus ratiocinatus est; animam ostendens illius totius esse actum. Tum verò in tex. 7. cum exposuit causam, cur ex anima & corpore fiat vnum, an non ostendit eam cum omnibus partibus coniungi? Etenim de toto corpore loquebatur, omnesque illius partes sunt naturalia corpora organica potestate vitam habentia. Denique idem cognosci potest ex tex. 37. prioris libri de ortu & interitu, & ex tex. 35. lib. 7. metaph. quibus in locis manum, digitum, & alias huiusmodi corporis partes affirmatiue omonymè appellari, si fuerit ab illis anima separata: tuncque propriè nominari, dum viuunt & habent animam. Certè adducar nunquam, vt eum credam existimasse, solum cor animatum esse, immò animal quoad essentiam, reliquas partes nec animatas nec animalis partes. Propriam eas oporteret habere substantiæ formam, à qua species: siquidem corpora sunt actu constituta. At quoniam modo animal ex illis fieret vnum ens per se? Sic enim in tex. 90. & 91. lib. primi argumentabatur Philosophus. Etenim viuentis, vt cuiusvis rei, vnitatis vnam postulat totius corporis formam: quæ nisi adsit, nequaquam vnum dicitur, nisi per aggregationem & plurium contactum. Et rursum cum corpus tam diuersis & pugnantibus partibus constet; nisi vna sit communis forma, quæ copulet omnes, foueat, & contineat, breuissimo mirum tempore dissolueretur, quemadmodum abeunte anima dissoluitur totum & putrescit.

Quæ verò tam sæpè tamque honorificè de corde prædicantur; duas ob causas prædicantur. Al-
De corde prima capitula.
 tera est, quòd etsi in omnibus partibus anima sit, est tamen ordine quodam. Cor primum omnium formatur, primum viuunt, vltimum moritur, vt est in cap. 4. lib. 2. de animalium ortu. Itaque est quasi prima radix, & præcipuum animæ subiectum; vnde ea ad reliquum corpus deriuatur, & foueri semper oporteat & conseruari. Reliquæ partes vitam habent à corde pendentem in animalibus sanguine præditis, aut ab eo, quod in cæteris est cordi analogum. Illud autem per se & independenter. Quocirca adæquatum & totale subiectum animæ est totum corpus; præcipuum cor. Altera causa, quæ ex hæc priori deducitur, ad animam spectat quatenus operandi principium est; atque ad principatum, quem in hoc munere membrum illud obtinuit. Etsi enim in omnibus partibus anima sit; quatenus tamen per suas facultates vim habet agentis, quoniam in agentibus necessaria est subordinatio, in hoc vno membro primum reside iure optimo affirmatur. Ab eo enim in reliqua distribuitur, atque inde conseruantur, & ad operandum iuuantur singula, subsidio vitalis facultatis, calorisque, & spiritus inde effusi.

Cur non omnes facultates in omnibus partibus.

Cur autem animam in omnibus partibus facultates item omnes & operationes non comitentur; difficilem sanè videtur habere explicationem. Sunt qui vegetantem quidem animam dicant esse ubiq; at sentientē nec in ossibus, nec in partibus illis cognatis. Quoniam cūm forma ex operatione cognoscatur, nutriuntur ossa, nō sentiunt. Verūm superest difficultas, tum de sentientis animæ facultatibus, quæ non exercentur in qualibet parte, in qua est hæc anima: tum de intelligente anima, quam in omnibus iis partibus esse affirmant, in quibus est sentiens tanquam illius subiectum; cur non in qualibet parte facultates suas omnes ostendat?

Sed cum fuerit communis Peripateticorum sententia, animæ substantiam in qualibet esse corporis parte; vegetantem certum est ubique adesse, cūm omnes partes nutriantur & augeantur. De sentientē & intelligente facile potest idem concludi, si partes animalium omnes consideremus, vegetationem quandam certæ speciei habere; quam necesse sit principium habere à vegetante anima per sentientem aut intelligentem limitata & determinata. Ossa quoque non minùs, quàm reliquas partes, esse partes animalis materiales, vt animal est; & ideo communi animalis vita participare debere. Nam si ratio illa, quòd in ossē non visantur sentientis animæ operationes, vim vllam probationis haberet: liceret quoque concludere, intelligentem animam aut in nulla esse corporis parte, aut in solo capite reperiri.

Vt ex operatione cognoscatur forma.

Argumentum igitur illud (quod sanè ad cognoscendas formas certissimum est) non nisi affirmando deduci debet ad existentiam formæ concludendam. Ex cuiusvis enim effectus existentia scitè colligitur existentia causæ. At nequam licet negando argumentari à negatione effectus ad negationem causæ; neque à negatione operationis ad negationem formæ. Vt enim causa non semper & ubique suum effectum producit, sed tempore determinato, atque in subiecto disposito; potestque multis modis impediri: sic anima non nisi in certo & accommodato organo operatur: & quamuis ipsa adit, potest propter organī ineptitudinem ab operatione tēperare.

An verò in singulis membris apta sit sua natura operari, habeatque facultates, quibus operari possit, etsi non operetur; potest merito dubitari; & multi ita esse contendunt. Verūm ne facultates eæ frustra & absque vllō vsu insint in plurimis partibus; & Aristoteli consentaneè magis loquamur, qui ex eo, quòd non adesset organum operandi, non semel argumentatus est nec facultatem adesse. Nam in tex. 30. lib. 2. de Cælo astris non fuisse à natura datam progrediendi facultatem: & in tex. 44. lib. 3. huius operis de anima, plantis non inesse facultatem mouendi se loco, hoc argumento persuasit, quòd nec astra nec plantæ propria huius motus habeant instrumenta. Et verò etiam Peripateticis, inter quos Simplicius, & Philoponus tex. 19. & 20. exponentes quasdam quidem facultates ostendunt per vniuersum corpus simul esse diffusas, quasdam tamen addunt in determinata parte atque à cæteris seorsim residere: vt facultatem videndi in oculo, & audiendi in aure. Probabilius

erit affirmare, facultates non oriri ex anima nisi quatenus ea est in eiusmodi organo, per quod operari queat in reliquis partibus solam esse sine facultatibus & operatione substantiam. Anima enim non dat esse corpori, nisi iuxta illius dispositionem; & cūm possit dare duplex esse, tum essentialē, tum operatiuum; maiorique opus sit apparatu ad esse operatiuum: corpori quidem vniuerso dat esse essentialē, sed illis duntaxat partibus esse operatiuum, quæ satis fuerint ad operandum preparatæ. Vt enim variæ sunt facultates, ita variam postulant temperationem, variam dispositionem & organizationem corporis. Itaque cūm det esse essentialē tribuendo seipsam, esse autem operatiuum adducendo facultates: substantia, quæ origo est & fons facultatum, partibus quidem omnibus tribuitur, at facultates quibusdam solum ad operandum comparatis. Hoc ipsum ostendit operationum multitudinem, quæ in animalibus futura erat. Neque enim fieri poterat, vt eodem omnes membro exercentur. Quare vt membrorum multitudo necessaria fuit, ita æquum videbatur, vt diuersitas facultatum in plura membra distribueretur, nec eæ nisi membris optimè ad operandum comparatis tribuerentur.

Quamobrem etsi cor fuerit à natura fabricatum vni facultatum omnium principium, illique vel concessæ fuerint facultates omnes, propter illum scilicet ordinem ad vnum, qui tum in hisce omnibus actionibus, tum in quouis bene instituto regimine erit necessarius: ab hoc tamen membro non nisi vna vitalis facultas maxime omnium necessaria, & quæ alias plurimum iuuare poterat, immediatè exercetur: reliquæ per alia quasi vicaria membra. Cæterum de facultatibus animæ post disputabitur. Iam modum explicando, quo ea sit actus corporis hæc eam ob causam dixi, vt intelligeretur esse actum essentialē totius corporis, & singularum partium. Verissimè tamen in corde potissimum agnosci, tum ratione esse essentialis, quia primum formatur; tum ratione esse operatiui, & principatus, quem in omni actione debuit obtinere. Ad alias grauiores difficultates progrediendum est.

Quam est omnibus certum, omnem animam simplicem esse naturam, quæ in partes essentialē non diuidatur; sed tanquam totum potest esse in plures tribuatur facultates: tam est incertum ac dubium, an in extensionis & quantitatis partes diuidi omnino possit. Etsi enim omnis forma, dum per se consideretur, inpartibilis est; quoniam quantitas & extensio materie propria est: disputatur tamen in scholis, an vt reliquæ naturales formæ, dum ponuntur in materia, cum illa extenduntur, vnamque sui partem habent in vna materie parte, alteram in altera; vt in plures quoque partes diuidantur, & verò etiam in illis conferuentur: sic anima dum est actus corporis quanti, eandem quantitatis & partium rationem induat; an impartibiliter potius & absque extensione totum corpus & singulas partes tota perficiat.

Tribus autem modis possumus hac de re philosophari. Aut enim animam omnem impartibilem esse affirmabimus; aut omnem constituemus esse partibilem; aut aliquam demum partibilem esse.

esse, aliam impartibilem existimabimus. Omnem animam impartibilem esse, affirmavit planè Marcus Ficinus in 6. lib. de Theologia Platonis, Plotini, & Porphyrium aduocans suæ sententiæ patronos. Sic tamen inter ceteros visus est sentire Plotinus in libro, cui titulus est, Quid animal, quid homo; & in libro de essentia animæ. Imò fauere auctoritas Aristotelis in tex. 35. & 36. prioris lib. de ortu & interitu, in accretione asserentis manere idem viuens ratione formæ, materiam cum quantitate mutari. Si enim continenter fluat materia, eademque persistat anima, impartibilem eam esse oportet. Nam si cum materia esset extensa, dum materia partes mutantur, formæ quoque mutatio consequeretur.

Contra pugnarunt Alexander, Petrus Pomponatus, & alij. qui animam omnem cum materia extendi & partibilem esse iudicarunt, si naturalis ratio & Aristotelis auctoritas considerentur, in cuius schola est certissima propositio; omnis forma materiam formans est extensa extensione materiæ. Quicque Alexandro posteriores fuerunt, sola fide ac religione tenere se dixerunt, animam nostram impartibilem esse & inextensam: Nam si Aristotelem consulas, respondebit is in tex. 78. lib. 8. phys. intelligentias propterea impartibiles esse, quod non sint in materia: & in prioribus libris de ortu & interitu, accretionem fieri ratione formæ. Ex quibus planè deduci potest propositio illa, quam dixi, formam omnem, quæ est in materia, partibilem esse: & animam, ratione cuius sit accretio, extensam esse oportere; vt per diuersas partes acquiratur in accretione, atque in accedente materia producat. Quod si ratiocinari uolueris; Omne, quod recipitur, ad recipientis modum recipitur: quare cum anima quælibet in materia quanta & extensa suscipiatur, eam quoque necesse est quantæ & extensam fieri. Deinde viuentium omnium partes abscissa viuunt aliquandiu. Quod in plantis & bestijs manifestum est. In homine autem ex eo cognosci potest, quod de S. Pauli capite traditum est, quod à reliquo corpore separatim iterum ac tertio saltauit & loquutum est: deque Arcopagita Dionysio, qui caput suum abscissum ad duo miliaria manibus gestauit: neque negari potest abscissam manum atque à reliquo corpore separatam moueri paulisper. Accedit, quod si impartibilis esset vlla anima, totaque in singulis partibus reperiretur; singule partes essent animal, aut etiam homo. Totam enim haberent formam, à qua & animal & homo nominari possent. Denique si in singulis partibus esset tota, eadem numero forma in diuersis esset subiectis. Ex quo illud consequeretur, vt anima moueretur simul & quiesceret: aut etiam contrariis eodem tempore motibus ageretur. Quippe fieri posset & sit persæpe, vt vnum corporis membrum altero quiescente moueatur; aut vnum moueatur sursum, alterum deorsum.

Cæterum S. Thomas, & qui eum sequuntur, plantarum & imperfectorum animalium animas partibiles & extensas esse constituerunt; impartibiles autem & inextensas perfectorum animalium, tum hominis, tum mutorum formas. Quæ Alberti quoque ad calcem primi li-

brui de anima videtur fuisse sententia. Nam vt animæ substantiam non in toto corpore, sed in solo præcipuo membro posuit: ita non aliam, quam facultatum, diuisionem agnouit: substantiamque in illo membro impartibilem esse voluit. Etenim in cap. 1. lib. de iuuentute & senectute, & in cap. 5. lib. de incessu, imperfectorum animalium animæ ita extensæ & partibiles esse dicuntur, vt multa quodammodo animalia in vnum coaluisse videantur: perfecta verò animam habere quàm maximè fieri potest vnam. Neque enim illorum partes diuisæ vitam ac sensum retinent. Atque de extensâ qualibet forma verè pronuntiatum est in tex. 80. lib. 8. phys. quod fuerit in maiori corpore, eò maiorem illius esse virtutem. Quocirca cum exploratum habeamus, animalia grandiora non semper maiorem habere virtutem, sed minorem interdum; vel etiam in eadem specie robustiora maioribus esse illa, quæ minora sunt: concluditur tandem, eorum animas cum corporibus nequaquam extendi. Quod si quis doleat, non maiorem intelligenti animæ, quàm mutorum formis perfectionem concedi; intelligat is eandem quidem impartibilitatis conditionem esse, sed in eo planè diuersam, quod intelligens anima non pendet à materia, cæteræ omnes necessariò pendunt.

Itaque quatuor formarum genera distinguenda erunt: duo minimè extensa cum materia, totidem prorsus extensa; Primum & præstantissimum omnium est intelligens anima, per se subsistens, minimèque à materia pendens. Alterum continet reliquorum animalium perfectorum animas; quarum natura pendet quidè à materia, sed ita significat ordinè ad vniuersū corpus, vt nullo modo singulas partes seorsim sumptas respiciat: & idè nec in illis diuisis cõseruatur. In tertio genere sunt animalium imperfectorum animæ; quæ per se primum respiciunt totum corpus, deinde singulas partes, & in illis item separatis consistunt. At quoniam non eas primum respiciunt, absolute eas non nominant, sed vel alterius partes. Nec enim plantæ pars abscissa vocatur planta, sed plantæ pars. Quartum denique & vltimum formarum genus formas habet purè naturales elementorum & mistorum inanimorum: quæ tam totam aliquam materiam, quàm singulas eius partes primum respiciunt & nominant. Equè enim partem aquæ aut ligni dicimus aquam aut lignum, ac tota aqua totumque lignum dicatur. Hæc ferme viri docti excogitarunt.

Ego verò in tertio quidem Philosophandi modo consistendum puto. Sed tamen alia profus ratione. Vt enim intelligentem hominis animam inextensam atque impartibiliter in corpore esse non dubito, totam in toto, & totam in qualibet parte: sic reliquas omnes animas & formas extensas & partibiles esse aio, totas in toto corpore, ac non in partibus singulis; quin singulas potius earum partes singulis esse materiæ & corporis partibus distributas. Hoc plerique senserunt, non latini modo, sed & Græci Aristotelis interpretes, atque Auerroës. Tametsi Auerroës intelligentem animam noluerit esse formam homini dantem esse: quod mihi nunc ab illo esse partibilem; aut aliquam demum partibilem

concedi postulo, certam præter ea, quæ superius A
propofui, opportuniore loco demonstrationem
allaturo.

Sanè non omnem animam inextensam esse &
impartibilem, aperta oratione docuit Arist. in
tex. 68. & 93. lib. 1. & tex. 20. huius 2. ubi plan-
tas & animalia plura viuere confirmavit, etsi
plures in partes diuidantur. Quod tum in ab-
scissis plantarum ramusculis plantatisque aut in-
feris perspicere licet, dum in magnas arbores
adolefcunt. Tum in vermibus, lacertis, & an-
nulosis cæteris. Tum vt habet Themistius in cap.
35. libri primi, in piscibus, qui in partes diui-
si tam strenuè adhuc mouentur, vt manibus re-
tineri nequeant. Sed plantas inquit Philosophus
posse abscissas multo tempore viuere, quòd ubi-
que habeant os potestate, quo accipere possint
alimentum. Et ideo si plantentur, radices mit-
tentur: si inferantur, facillè cum alia arbore co-
pulantur & adolefcunt. Animalia nequaquam.
Quæ tamen ipsa tandiu mouentur, vt illorum
partes necesse sit habere animam: siquidem tam
diuturnus motus in solum vitalem spiritum re-
ferri non potest, qui recedente anima mox eua-
nescit. Sentiunt quoque illæ partes tactæque dol-
ent & refugiant: quod sine anima esse non potest.

Cæterùm non plantarum modò atque im-
perfectorum animalium, sed perfectorum quo-
que mutorum conditionem eandem esse, om-
nemque omnino animam ex materiæ potestate
eductam extensam & partibilem esse cum mate-
ria; non modò visus est idem Philosophus signi-
ficare. Tum in tex. 49. lib. 6. phys. eum form-
am omnem, quæ est in materia (ita scilicet,
vt materialis sit & educta ex materia) partibilem
esse partitione materiæ asseruit. Tum in tex. 78.
l. 3. dum in ea, quam attulit demonstratione,
hoc idem accepit. Neque enim dici potest, eum
de solis imperfectorum formis fuisse loquutum;
quoniam intelligentiam perfectissimam naturam
haudquadquam in materia non esse probasset.
Tum verò in cap. 5. lib. de animalium incessu
animalia insecta scripsit posse in partes diuisa
multo tempore viuere, & moueri sicut antea
mouebantur; sanguine prædita non posse. Quo
loco animaduertendum est, eum quidem fa-
teri vel horum ipsorum animas diuisas viuere;
at breuissimo tempore. Immo diuersitatis huius
rationem exponens, quòd insecta multas
quasi animas iunctas habeant, sanguinea sint ma-
ximè vna; hoc est partes habeant maximè con-
nexas atque ab vno principio pendentes: satis apertè
in his item animabus multitudinem partium
indicauit. Nam si impartibiles essent & inexten-
sæ, an non meliùs respondisset, nullo tempore
viuere hæc animalia, quòd impartibilis sit eorum
anima, neque in abscissis partibus vlla remaneat?

Verùm Galenus in cap. 3. lib. 6. de Hippocratis
& Platonis decretis cor à reliquo corpore exem-
ptum moueri & naturalem suam functionem
seruare posse scribit. Et Aristoteles in libro de Iu-
uent. & Senect. cap. 1. testudines auulso corde moueri.
Et Themistius pisces proponit, non imperfe-
ctissima animalia; & alia quædam, quæ capite
truncata palpitent: & Aueroës in commenta-
rio 4. lib. 7. phys. arietem se vidisse testatur
amputato capite multoties ambulasse; atque ex
Galeno refert, posse animal auulso corde duos

passus incidere. Quod Aristoteles in cap. 10. lib.
3. de partibus animalium fatetur; & velut à ma-
iori probans, Nam ea, inquit, quæ sanguine ca-
rent, vel viuere diutius possunt truncata capite.
Quo loco non solum planis verbis affirmat, ani-
malia quædam, quæ capite abscisso diutius vi-
uunt, animam habere partibilem: sed etiam si
animalium perfectorum animæ impartibiles es-
sent, non eam explicasset rationem, cur ampu-
tatum caput non loquatur; quoniam præcisa est
arteria; sed illam potius, quia non remanet in
illo anima.

Iam verò cur hæc omnes animæ cum corpo-
re extendantur, hæc est necessaria profus ratio:
quoniam educuntur & accipiunt esse, & ideo
perpetuò pendunt, ex quantæ & extensæ mate-
ria. Cum enim omnes materiæ partes dispositæ
sint & potestate ad eam formam, cunctæque à na-
turali agente alterentur & mutantur; ex singulis
pars quæpiam formæ educitur. Agentis quo-
que actio, quæ hæc animæ producuntur, extensa
est & partibilis. Quare ipsas item animas, quæ
per eam ex materia eruntur, eiusdem conditio-
nis esse oportet. Et vt ratione diuersarum par-
tium educuntur & accipiunt esse ex diuersis ma-
teriæ partibus, ita in illis sint & conseruentur
necesse est: quippe eandem materiam actuat vna
quæque forma, ex cuius potestate educitur. Ne-
que alia est ratio, cur ignis forma aut naturales
ceteræ extendantur & cum materia diuidantur; nisi
quòd ex materia extensa & ratione diuersarum par-
tium ex diuersis eius partibus eductæ fuerint. Quòd
si quæ horum animalium animæ inextensa essent &
impartibiles; nõ magis in vna corporis parte, quam
in alia, haberet esse: posset igitur ab hac & ab illa
atque adeò à toto corpore separari atque immor-
talis per se coherere: quamadmodum de anima
nostra Philosophamus.

In eo verò discrimen quodpiam cernitur, quòd
plantarum animæ diuissimè potest in diuisis parti-
bus conseruari; bestiarum formæ non possunt.
Etenim nutriendi vis per omnes partes in plantis
diffusa est: nec ea exquilita indigent corporis orga-
ni ratione, aut magna partium diuersitate. Quòd
Aristotelis illud significauit, cum plantas abscissas
dixit viuere, propterea quòd ubique habeant os,
quo alimētum sumere ac nutiri possint. At in ani-
malibus sentiens anima conseruari diutius nequit,
quòd dispositiones plures, organizationemque per-
fectiorem postulet: præsertim verò membrorum
omnium pendentiam ab vno primo, in quo vitæ
principiū residet. In anulosis tamen & exangulis
aliquantisper conseruatur. Quoniam cum imperfec-
tiores sint dispositiones, minorque partium pen-
dencia ab vno (non enim est in illis cor, sed cordis
quidpiã analogū, humor per totam illorū longitu-
dinē extensus) sunt animalia minimè vna, & quæ ab
Aristotele dicantur esse multa simul iuncta. Prop-
terea possunt in multa diuidi, si non per longum, sed
per latū ita diuidantur, vt in singulis partibus aliqua
illius humoris veluti principis membri pars rema-
neat. Denique in iis, quæ perfecta sunt & sanguine
summaque vnitas & pendentia. Habent tamen
cor cum arteriis & venis, quibus quasi funiculis
partes omnes cum principe membro colligan-
tur: & veluti canalibus ab eo virtus omnis
deriuatur in omnes, ac præsertim vitalis virtus
per

per arteriarum pulsus. Itaque diuisa non uiuunt; quia tum virtutes ceteras, tum maximè vitalem non recipiunt à corde. Hinc est, quòd non semper animalia grandiora maiorem habent virtutem. Nam cum eorum virtus à corde & verò etiam à capite deriuanda sit; quòd grandius est corpus, eò magis dispersa & imbecilla virtus; quæ in minori corpore est magis vnita & fortis, quòd membra omnia minus ab eo principio distent, à quo virtutem hauriunt.

Postremò ex his omnibus manifestum est, in plantarum ac mutorum omnium nutritione atque accretione partem semper aliquam animæ notam gigni, atque ex aduentitia materia potestate educi. Alioqui anima, quæ materia partem illam actua- ret, minimè ab ea penderet, essetque abstracta & separabilis. Quomodo autem idem semper viuens maneat secundum formam, exponam eo loco, in quo de accretione dicetur.

Hæc de animalibus materialibus atque ex corporis potestate educis affirmantur verissimè. At de intelligente, quæ aliud est animæ genus, aduenitque extrinsecus, & tanquam perpetuum à mortali differt à cæteris; secus omnino sentiendum est. Nimirum ea impartibilis profus est & inextensa. tota in toto corpore, & tota in qualibet eius parte. Hoc Aristoteles planè confirmat in tex. 48. & 92. lib. primi, ubi aduersus Platonem intellectum, quem ille ponebat in capite, ostendit esse impartibilem, nec certa vlla corporis parte contineri. Et in tex. 51. lib. 12. Metaph. omne, inquit, non habens materiam impartibile est, quemadmodum humanus intellectus. Si enim reliquæ omnes formæ verè probantur esse partibiles; quia sunt in materia, atque ex illius potestate educit: licebit quoque verè concludere, impartibilem esse animam nostram; quòd immaterialis sit & nequaquam ex corpore producta. Quemadmodum & in tex. 78. lib. 8. phisic. intelligentiæ reliquæ demonstrantur impartibiles esse, quia sunt immateriales. Etenim extenso, ac partito non conuenit rebus, nisi propter quantitatem: quare nec formis inest, nisi propter materiam, cuius affectio quantitas. Ita fit, vt ex duntaxat extensa euadant & partibiles, quæ ex eius potestate germinarunt. Anima nostra aliunde adueniens impartibilitatem suam tuetur, nec materialem vllam imbuat conditionem. Quapropter quemadmodum si quæpiam alia intelligentia copularetur cum materia, vt ipsa cum cælo coniungitur; impartibiliter planè copularetur, reque ipsa copulatur: sic de anima nostra cogitandum est, quæ & immaterialis & per se subsistens est, vt intelligentiæ cæteræ. Itaque propositio illa, quam tanquam certam accipiunt aduersarij; Omnis forma formans extensa est cum materia; falsa est, nec vnquam à philosopho cogitata. Animeque definitio, quam Plotinus exposuit in lib. 1.2. & 1. Eneadis 4. Anima est essentia, partibilis item & impartibilis; soli animæ intelligenti conuenit. Partibilis enim quoquo modo videtur, vt omnibus adest corporis partibus, omnes perficit, atque omnibus vt instrumentis vitur: impartibilis autem, vt ab illis minimè pendet, tota singulari adest, suamque habet operationem corpori non communem. Nò enim idcirco extenditur forma, quòd formet & det esse; sed quòd ex materia potestate eruat. Quare si quæ forma naturam suam aliunde habeat, atque ad formandam materiam forinsecus accedat; quæ-

A admodum immaterialis est & minimè pendens à corpore, sic impartibiliter & absque extensione formabit. Neque enim hoc distinguitur formans forma ab assistente, quòd illa sit alligata materia & cum ea extensa; hæc minimè. Sed eo potius, quòd illa intimas omnes materiae partes & penetrat & perficit; atque ita vnitur, vt det esse: & si sit substantiæ forma, faciat vnum per se coniunctum: hæc autem exteriores duntaxat tangat partes, aut si interiores quoque peruadat, vt cælestis intelligentiæ; solum motum atque operationem quampiam adferat. Et quotquot aduersus hanc veritatem fuerunt ab illis congecta aut congeri possunt argumenta, vana omnino sunt, & ex falso ducta principio; deque ea sola forma concludunt, quæ materialis est & ex materia potestate pullulauit: de immateriali atque extrinsecus adueniente anima nostra omnino nihil. Possè autem esse formam formantem ex materia minimè educitam; tum de anima nostra suo loco demonstrabitur; tum ex eo nunc intelligi potest, quòd formantis formæ vis in eo per se cernitur, vt formet, det esse, perficiat: non item in eo, vt accipiat esse ab eo, in quo suscipitur. Immo hoc accidentarium est, atque ex formæ imperfectione profectum; potestque à generali formæ ratione separari.

C Prior hæc argumentatio hæcenus explicata duo profus demonstrat. Alterum id, quòd queritur; intelligentem animam impartibiliter esse in corpore. Alterum, quantitatem solius materie affectionem esse. Nam si ea compositum iam constitutum consequeretur; intelligens quoque anima, que humani compositi pars est, non minus quantitate illa extenderetur, quam extendatur materia.

Alteram addo argumentationem non minus fortasse necessariam. Si hæc anima esset partibilis, esset item mortalis: quàm igitur est certum eam esse immortalem, tam esse debet esse impartibile. D Etenim dum humani corporis pars quæpiam abscinditur, quid sit parti illi anime, que in ea corporis parte esse dicebatur si interit; cum anima tota eiusdem sit rationis, interibit tota. Sin autem permanet, aut ea ad reliquum corpus recedit, aut per se separata subsistit. Posterius hoc nequaquam dicendum est; quoniam in infinitas partes incoartibiles & per se subsistentes eadem anima diuideretur; atque vna in innumerabiles dissolui posset. Quòd si ad reliquum corpus sese recipiat; mittò quòd ipsa per se sola moueretur loco, ac de subiecto in subiectum migraret: essent in eadem materia due partes distincte eiusdem formæ. De accretione & decretione eodem modo argumentari licet. Aut enim dum augetur homo, nouam animam produci oporteret, que accedentem formaret materiæ; aut eandem animam locali motu sese dilatare, eandemque illius partem diuersas materie partes perficere. Et rursum dum decrescit, aut interire deberet, aut sese contrahere. Potius autem credendum est impartibiliter eam incipere ac desinere formare materiam, absque vlla sui aut productione aut interitu; locive, aut subiecti mutatione.

Sed quoniam in re certa ac palam posita verifamur, tertiã duntaxat argumentatione subiciã, quæ ex cognitione & libertate animæ nostræ ducitur. Scimus eã non materialia modò & sensata singula, sed vniuersas quoque naturas, atque intel-

lignitas ab omni abiunctas materias cognoscere; seque supra seipsam conuertere, & naturam, atque operationes suas contemplant; atque in omni actione summa libertate frui. Hæc fieri minimè possent, si ea partibilis esset & extensa cū corpore. Quæ enim alia cogitari potest ratio, cur sensus nec seipsum, nec suam operationem cognoscat: nec res item vniuersas & immateriales comprehendat: neque omnino materialis vlla forma in seipsam operetur? nisi quia materiales cū sint, extensæ & ligatæ sunt cum quantitate materiæ, quæ nullam prorsus conuersionem admittit. Si igitur anima nostra alligata esset materiæ, atque cum ea extensa, nunquam posset ab illius condicionibus & indiuiduis proprietatibus liberari, atque ad vniuersas & immateriales res sese erigere. Nec demum se conuertendo, seipsam suarum operationes magis cognoscere, quàm sensus possit, aliave quæpiam materialis forma. Denique libertas omnis periret, ea sic materiæ, & quantitati alligata.

Argu-
mentis
respon-
detur.

1.

Ita ferè animæ nostræ impartibilitas demonstratur. Quæ verò secus suadebant, nullo negotio dissoluntur. Nam pulchrè quidem & necessariò probauit Arist. intelligentias impartibiles esse, quia non sunt in materia: quippe tota causa, cur forma sit partibilis, materia est. Non tamen licet argumentum reciprocari, formam probando partibilem esse, quod sit in materia. Non enim est satis, ut quouis modo sit in materia: sed ita oportet esse, ut in illa inhereat, aut inexistat, indeque accipiat esse. Sic enim demum omnes materiæ conditiones induit. Quod igitur in materia non est, impartibile prorsus est: quoniam procul abest ab eo, quod extensionis & partibilitatis principium est. At non quidquid est in materia, statim partibile est. Quia quodam modo esse potest, quo materiæ conditionibus non inquinetur. Ita & motrices cælorum intelligentiæ, & anima nostra, etsi quoquo modo sint in materia; illæ ut mouentes; hæc ut formans & dans esse: quoniam tamen non sunt eo modo, quem dixi, nec quidquam accipiunt à materia, partibiles nequaquam euadunt.

2.

Cum autem dixit, Accretionem fieri ratione formæ; quid sibi verbis hæc voluerit, ibi exponã, vbi de accretione dicam. Interim errant aduersarij, dum ex eo loco argumentantur, nouas animæ partes in adueniente materia produci; quemadmodum in cæteris animabus euenit. Hoc solum verè affirmabimus, præexistentem animam tuac de nouo dare esse aduentitiæ illi materiæ.

3.

Omne, inquit, quod recipitur, ad modum recipientis recipitur. Esto. Sed præterquam quod materia est incorruptibilis, nec tamen formæ, quæ in ea suscipiuntur, incorruptibiles euadunt: aut illud verum est de illis duntaxat formis quæ ita suscipiuntur in materia, ut ab illa hauriant naturam suam. Hæ enim propriè dicuntur in materia suscipi. Aut si de anima quoque nostra intelligendum esse contendant, non erit omni ex parte verum: sed ex ea sola, ut quemadmodum id, in quo suscipitur, permultas habet partes; sic anima in eo suscepta non in impartibili quopiam suscipiatur. Sed ut illud est totum aptum ad suscipiendum esse ab anima; ita hæc in omnibus illius partibus suscipiatur, totumque corpus & omnes partes perficiat.

4.

Aliquam potro hominis partem abscissam, atque à reliquo corpore separatam non nihil intermedium moueri, certum est. At non idèo mouetur,

quod in ea vigeat anima: sed quoniam vitalis aut animalis spiritus, qui parte illa continetur, impulsus accepit quæpiam, aut dum abscinderetur, aut potius ab hominis, cui pars abscissa est, imaginatione. At vbi spiritus euascescit, cessat motus. Quod autem de SS. Pauli & Dionysij capite proditum est; non est in naturalem, sed diuinam causam referendum. Negaret enim Philosophus in cap. 10. lib. 3. de Partibus animalium, caput amputatum posse loqui; cum arteria careat & pulmōibus. At nunquid insectorum quoque animalium motum referemus in spiritum? Nequaquam. quoniam is motus diuturnior est. Et præter motum sentiunt, & refugiunt, dum tanguntur: quæ non nisi ab anima proficisci queunt.

Dum verò tota intelligens anima in singulis partibus esse affirmatur, non licet colligere, earum quamlibet posse hominem appellari. Quoniam homo non solum significat animam; sed corpus quoque organicum integrum & perfectum ad integri hominis naturam pertinet. Quare si vnus aliquam partem consideres, eam ex corporis, non animæ, defectu minimè hominem appellabis. At vide, an dum anima tota est in pluribus partibus, eam esse in pluribus subiectis affirmare velis. Mihi quidem certè definitè & tanquam in integro & adæquato subiecto, in toto duntaxat corpore videtur esse; in singulis partibus non nisi tanquam in locis & subiectis partialibus; quæ sanè plura esse possunt. Non erit hoc loco incongruum ex S. Augustino in libro de Spiritu & Anima, cap. 18. & 35. ad huius rei explanationem exemplum Dei proponere, qui & in toto mundo, & in singulis eius partibus adest totus. Sed quoniam Deus proprie nature immensitatem dici non potest esse definitè in mundo; accommodatum magis erit exemplum cæterarum intelligentiarum, quæ cælum aut aliud corpus mouent. Nam in eo toto definitè sunt & adæquate: & cum impartibiliter sint, totæ item sunt in singulis partibus.

Denique anima, inquit, eodem tempore mouebitur & quiescet; motibusque agitabitur contrariis, dum vnus membrum altero quiescente mouetur, aut vnus in vnâ partem, alterum in oppositam impellitur. Id vero ego illis libenter concedo. Fieri enim omnino quidem non potest, ut idem eodem modo consideratum aut mouetur simul & quiescat, aut contrariis simul & pugnantis motibus agitetur. At si alio atque alio modo sese habeat, nihil prohibet, & perpetuè necessarium est. Eadem igitur anima in eadem corporis parte simul illa præstare non potest: at ratione diuersarum partium cur moueri non possit, dum vna pars mouetur, & altera quiescente quiescere; sursumque item & deorsum moueri? etenim idem quoque corpus ratione diuersarum partium eodem modo afficitur.

Animam igitur ita ostensum sit esse actum corporis essentiali. Quod autem queritur, num vnus an plurium corporum eadem anima possit esse actus; nullam habet in stirpibus & mutis difficultatem. Quoniam cum eorum animæ ex materia educantur, nec ab ea separari possint; manifestum est, tot in illis animas esse oportere, quot materiæ & corpora diuersa sunt: neque posse vnâ animam nisi vnus determinati corporis, ex cuius potestate educitur, esse actum.

Tota difficultas est de anima nostra, quæ cum

ex materia nõ producatur, sed accedat aliunde, pos-
sitque à corpore separari; difficultatem nimirum
adfert, tum eo ipso tempore, quo est in corpore;
tum eo maximè, quo separatur. Nam cum adue-
niat extrinsecus, potest fortasse cum multis simul
corporibus copulari: & dum ab aliquo incolumis
& superstes abit, quidni migrare possit ad aliud: &
& si non simul, successiue saltem fieri plurium cor-
porum actus?

Vidit quidem Plato in Timæo & Phædone, &
pluribus aliis in locis, eam plurium simul corpo-
rum actum esse non posse, sed in singulis singulas
esse oportere. Quam ob causam in Timæum Pro-
clus com. 1. Deos dixit *ἀθάνατοι*. i. sine determinatio-
ne sortiti corpora; animas verò *ἀθάνατοι*. i. cū de-
terminatione ad certa corpora; neque posse vnā
animam plura inhabitare corpora, vt Deus vrbes
plures. Non tamen propterea voluit eas multipli-
cari, quemadmodum corpora multiplicantur: sed
cū animas crederet corporibus esse antiquiores,
quod obtemperantibus illis essent imperatura;
æquique sit, vt iunius obtemperet antiquiori,
quàm contra: eas constituit multiplicari seipsis;
non per ordinem ad corpora, sed per suas proprias
subsistentias. Certo tamen & determinato nume-
ro. Et idè in diuersa migrare corpora: idque præ-
sertim ad purganda crimina atque delicta, quæ in
prioribus corporibus admisissent. Vnde apud Pla-
tonicos libri de animarum ascensu & descensu,
Neque in humana modò, sed bestiarum quoque
cōpora migrare affirmat, vt in priorè corpore
gravius aliquid deliquissent. Sic enim loquitur in
Phædone. Eos, qui ventri, peculantia, gula dediti
vitam egerūt; neq; quidquā pensi pudorifque ha-
buerunt, decens est asinorum formas & eiufmodi
brutorum subire. Qui verò iniurias, tyrannides,
rapinas præ cæteris sequuti sunt, in luporum, acci-
pitrum, miluorum genera paret per transire.
Abiunt enim in genera qualibet, quibus in vita
mores similes contraxerunt. Eadem ante Plato-
nem Pythagoræ fuit sententia quam in tex. 57. libri
1. fabulam Aristoteles appellauit: & nomie fabulo-
sum est quod de illo narrat Max. Tyrius in ser. 28.
quod in Palladis templum ingressus, clypeum ap-
pensum intuitus, clypeum dixit agnosco meum,
quem mihi interfector meus abstulit in Iliens
pugna? In eo autem scriptum erat, Menelaus
ab Euphorbo: in quo scilicet Pythagoræ antea
fuisset anima. Quanquam non desunt, qui Pytha-
goram dicant non hoc sensisse ita euenire; sed vt
homines à peccatis auocaret, eo modò fuisse lo-
quutum.

Inter Peripateticos celebris est Auerois opi-
nio, vnicum intellectum hominibus omnibus si-
mul assistere. Immo & recentiores aliqui vnicam
intelligentem animam omnium formantem for-
mam esse docuerunt.

Cæterum animarū illa migratio risu semper fuit
excepta potius, quàm rationibus confutata. Tri-
bus tamen potissimum argumentis reicitur. Pri-
mum, quia cū anima sit ea forma, quæ consti-
tuit, dat esse, & distinguit animata corpora; si ea-
dem sit plurium hominum anima, homines illi
nequaquam distinguerentur. Sed quemadmodum
vnā haberent formam, sic vnus & idem numero
essent homo. Præsertim cū voluerit Plato ani-
mam esse totam hominis essentiam & naturam,
cōpusque vehiculum animæ & instrumentum. Et

hæc quidem ratio naturæ principis nititur. Altera
certissimis Christianæ fidei nostræ decretis. Cū
enim certissima fide sciamus futuram aliquando
nostrorum corporum resurrectionem; qua redi-
bunt iidem homines, qui antea fuerunt: si vnā fuis-
set diuersorum corporum, atque hominum anima;
nequaquam iidem homines resurgere possent. Sed
aut illi duntaxat reuiuiscerent, qui numerum il-
lum animarum exlerent: aut vt omnes resurge-
rent, creari nouas animas oporteret, quæ plurima
corpora occuparent. At nisi eandem habeant for-
mam & animam, non erunt iidem homines. Po-
stremò certum est, homines singulos animamque
vnāquamque post generalem illam corporum
resurrectionem condigna aut præmia aut suppli-
cia reportaturam; prout vnā quæque gessit in cor-
pore, siue bona, siue mala. Iam si vnā anima in cor-
poribus pluribus fuerit, atque in vno meruerit præ-
mium, in alio supplicium; quid tandem de anima
illa ab æquo iudice statueret?

In schola autem Peripatetica grauitèr quidem
peccarunt illi omnes, qui vnum in cunctis homi-
nibus intellectum posuerunt: sed illi multò gra-
uius, qui formantem eum dixerunt. Etenim faci-
lius est, minusque cum ratione pugnant, vnā &
eadem assistentem formam corporibus pluribus
operationem tribuere, quàm formantem vnā
dare esse. Sed quoniam hoc ad eum locum perti-
net, in quo de intelligente anima disputandum
erit; obiter nunc lectorem monebo, longe aliam
Aristoteli fuisse sententiam. Vnā scilicet ani-
mam, seu formam; quæcūque illa sit, nec simul,
nec successiue posse esse nisi vnus corporis aut
materie actum. Nam in tex. 2. formam & animam
quamcūque scriptis esse id, per quod res est hoc
aliquid 1. substantia perfecta & indiuidua, quæ de-
monstrari possit. Et in tex. 7. rem vnāquamque
per actum maximè esse vnā. Tot igitur anima, quot
indiuidua. Quale in tex. 24. & 26. animam dicit es-
se actū determinati corporis. Quoniam actus &
potestas sunt relata; neque actus suscipitur nisi in
propria quapiā materia aptè ad eum suscipiendum
disposita. Vnāqueque igitur anima non nisi in vno
corpore disposito suscipi potest: siue ea educatur
ex materia, siue aliunde accedens cum ea coniun-
gatur. Quoniam vt ad educationem, sic ad vnionem
certæ quædam dispositiones necessariae sunt. Ver-
rūm de hoc alibi pluribus. Nunc de iis, quæ omni
animæ communia sunt.

*Tertia Digressio Pars. De formarum multi-
tudine in eodem corpore.*

Est autem multò difficilior constitutere, an
quemadmodum vnā anima non nisi vnus
corporis est actus; ita etiam in vno corpore non
nisi vnā sit anima; an verò plures simul reperiantur.
Et quoniam vniuersa hæc disputatio de pluralitate
formarū in eodè composito perdifficilis est & ob-
scura; attingam ea omnia, quæ ad totum hoc caput
pertinent.

Fuerunt permulti & graues viri, qui nullo modo
feri posse crederēt, vt in eadè materia plures simul
inessent substantiæ formæ. Horū ferè princeps, S.
Thomas in opusculo 45. quod ad hanc sententiam
persuadendā conscripsit; & in opusculo 1. cap. 90.
91. & 92. & in 2. li. contra gētes ca. 58. & in disputa-
tis quæst. de Anima art. 9. & 11. & in prima parte

*Quid de
formarū
multi-
tudine
sentiant
alij.*
1.